

## EPISTOLA XI.

**S**• Vir clarissime & amice optime, ut tibi publicum  $\alpha' \xi \omega \mu \alpha$  J. C. ad cætera decora, propitio Dei consilio, accessisse, (a) vehementer lætor: sic precor Deum, ut te Majorum laudatissimorum exemplo, gloriæ suæ, & patriæ utilitati, servare velit. Apud nos omnia fere antiquum obtinent. Utinam Deus nobis det resipiscentiæ donum, cum Genevensium pericula, quæ a Sabaudo illis imminent, nobis quoque argumento sint, Deum nequaquam nos præteritum, nisi resipiscamus. Magis magisque efflorescit Academia nostra, & crescit ex miserandis ruderibus aliarum Scholarum. Historicis meis Lectionibus (quibus ideam veteris historiæ sacræ & profanæ, καδδύναιων complector) plerumque intersunt, treis Solmenses Comites, Witgensteinius, Ostroroganus: Barones Wineburgius, Ronaviensis & alii. Rectorem habemus D. Felicem Platerum (b) Ego laboribus fere confidor, &  $\epsilon \nu \tau \rho \circ \delta \omega$

(a) hoc anno enim Ducum Saxon. Coburg. & Reipublicæ Noricæ Consiliarius factus est.

(b) natus est 1536. Basil. Patre Thoma Plattero Gymnasiarcha Basileensi. A. 1557. post multas pere-